



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

2

DE
PRINCIPIIS
IURIS
NATURALIS
SCRIPSIT
IOANNES ULRICUS ROEDER
IN
REGIMINE DUCALI SAXO-HILDBURGHUSANO
ASSESSOR.



HILDBURGHUSAE,
APUD IOAN. GODOFR. HANISCH,
MDCCLXXIII.



I.



Notum est et multorum, philosophorum in primis, sermonibus concelebratum, scientias earumque praecepta artissimo inter se nexu vincita et propinqua sibi invicem cogitatione ita esse conjuncta, ut veritas veritatem semper ex se gignat quasi et in lucem proferat. Compertum hoc est omnibus, qui usu non contemnendo iuncti scientiis; quibus multo difficilioribus procul dubio interemur, si praecepta earum fausta hac et felice necessitudine se non mutuo attingerent. Similia in eo videntur praecepta disciplinarum nobis, qui eos, quos in amicorum numero

A 2

ha-



habemus, iis, quos cognatione aut alia necessitudine attingimus, tradimus et commendamus, quod cultoribus suis aditus ad propinquos et affines suos, quos hi difficiles non raro habent, faciles reddant.

II.

Ut vera haec sint, multis tamen non cœtum satis videtur, quod hic vitent. Sunt interdum gradus quidam, quibus veritates se contingere debent, si a cognatione earum commoda in illis explicandis, et rationibus earum exponendis iure expectare volumus; et negligenda non raro remota nimis et altius petita earum affinitas. Sibilamus hodie, utcunque sibi domi plaudant, eos, qui initium commentationum suarum a principio *contradictionis* et *exclusi medii* ducunt, et aequè putamus ridiculos et absurdos, ac si Adamum agnatos inter et gentiles suos referrent. Fingunt alii cognationem, nescio quam, inter scientias earumque præcepta, verbo talem, re vera nullam. Proponunt stemmata veritatum, quibus origines earum erronee plane referunt; quo fit, ut in exponendis rationibus illarum errore ducantur et a veritate haud leviter deflectant. Exemplo hic esse possunt, qui ex notione *perfectionis* omnia iuris naturalis præcepta colligere volunt; eius usum ibi iactant, ubi nullus plane est, et in iis legibus naturalibus

3

bus, quae nec lucem nec subsidium ex ea
mutuantur.

III.

Non satis interdum cogitare videntur de natura *principiorum cognoscendi* illi, qui in numerum eorum referunt ea, quae ad illa, quorum dicuntur principia, relata nulla omnino esse et ad veritatem ac firmitatem eorum, quae ex iis tanquam ex fonte fluere creduntur, parum aut nihil facere videntur. Facturus ergo operae pretium videor, si de natura *principiorum cognoscendi* et genitivis eorum notis quaedam disputavero; idque tanto magis, quanto est certius, ea, quae in libris et scholis suis vulgo tradunt philosophi, quibus principium cognoscendi id esse dicunt, ex quo veritas rei intelligi possit, vera quidem esse, non sufficere autem ad distinguendum ab omnibus aliis definitum et tacere multa, scitu nobis non utilia tantum, sed et necessaria. Caetera excusatos nos habebit lector, si, ut orationis perspicuitati consulamus, per paginas quasdam frequentes lutulenti fere interdum fluimus: si erit, quod tollere vellet lector ornati dicens generis studiosus. Veniam rogamus siccitatis cuiusdam et angustiae conclusaeque orationis, quam materiae tractandae postulare et inevitabilem fere facere videbantur.

Consentiant omnes uno ore de eo, quod principium cognoscendi sit propositio, ex qua veritas alterius efficitur et colligitur. Cogitantes autem de modo, quo veritatem praecepti ex alio intelligimus, hunc esse videmus. Propositio, quam altera principium suum agnoscit, ideam semper continet tertiam, ex qua, iuncta duabus ideis, subiecto et praedicato propositionis demonstrandae, huius veritatem efficere licet. Notissimum et omnium, qui Dialecticam tractant, sermonibus celebratum, duas ideas, quae cum tertia quadam convenient, inter se etiam convenire, et quae tertiae repugnant, eas et sibi invicem hactenus repugnare. Celebre hoc est et unicum, firmum tamen, syllogismorum ordinariorum fundamentum, et tale, cuius ope diuidicare semper licebit, sitne propositio principium cognoscendae alterius, an non sit? Confidenter affirmare poteris, ideam, aut propositionem, quae nec est, nec continet communem illam notionem, cum qua ideis propositionis probandae convenire debet, ut sibi mutuo iungi possint, non esse huius principium cognoscendi. Non poterit affiri ratio, cur ideae propositionis probandae recte de se invicem dici possint? praefer dictam illam cum communi illis et tertie idea convenientiam. Omnia disciplinarum

prac-

praecepta, cum principiis, quae agnoscunt, cognoscendi simul exposita, Syllogismi procul dubio ordinarii habitu proponi possunt. Si terminis artis haec expressa cupis, hinc erunt: Omnis *conclusio* cum *medio termino* exprimenda ad Syllogismum ordinarium reduci potest. In hoc autem duo conclusionis *termini* recte sibi iunguntur, quia in praemissis tertio, quem *medium* vocant, iunctae. At ratio, qua veritas conclusionis, sive propositionis demonstrandae, ntitur, eadem erit, sive Syllogismo ordinario, sive alio modo exponatur. Quaecunque ergo propositio, quodcunque praeceptum demonstrationem admittit; dantur enim quae non admittunt: nulla alia ex ratione verum erit, quam quod ideae, quibus constat, copulari sibi possunt, quia cum alijs quadam natione coniungi ex vero possunt: et quodcunque illius iactatur principium cognoscendi, offerre nobis semper debebit ideam illam, ad quam aliae, ut in una sede morari possint, dicto modo se referre debent. Exponi caetera potest principium cognoscendae veritatis propositionis alicuius cum hac simili expositum, vel solam ideam, quam *medium terminum* vocant, suppeditando: ut in Syllogismis, quos *contractos* dicunt, fieri videmus: vel addendo simul alteram idearum, quibus constat propositio, cuius veritas a principio illo pendet, quod *en-*

thymema servare novimus. Ponunt alii
fundamentum Syllogismorum ordinariorum
regulas illas Aristotelicorum, quae praedi-
catum de omni praedicari etiam de aliquo, et
si quid praedicatur de nullo, illud etiam non
praedicari de aliquo dicunt. Exponunt nos-
tri primatum harum formularum hoc modo,
ut praedicatum de genere de hujus etiam in-
ferioribus praedicandum praecipient: secun-
dum autem ita, ut generi negatum inferiori-
bus etiam generis negandum dicant. Nec re-
pugnat haec doctrina, quae tamen non
omnes ratiocinationum species regit, theo-
riæ nostræ. In ratiocinationibus enim,
quæ genus et hujus speciem offerunt ac ge-
neri tributa eius inferiori tribuunt, idea ter-
tia, cui convenire debent notiones, sive
termini conclusionis, ut sibi convertiant,
erit semper omne illud et nullum, vel genus
in doctrina iam exposita laudatum. Nec
adversantur theoriæ nostræ illi, qui regu-
lam, ad quam cogitationes in formanda ra-
tiocinatione vel Syllogismo sint dirigendæ,
eam esse dicunt, quæ cui definitio competit;
illi et definitum competere, et cui non compe-
tit definitio, illi nec definitum competere ait:
siquidem in syllogismis, quæ regulis hisce
reguantur, definitio erit semper tertium ili-
lud, sive idea diuibus aliis communis. Nil
sibi aliud haec omnia volunt, quam exposi-

• • •

sitionem specierum, quas per genus, iis
omnibus commune, una voce expressimus.

V.

Opponi nobis posset: dari multa, ex
quibus veritas aliorum colligatur; horum
igitur cognoscendorum principia, quibus
tamen non contineatur idea illa *tertia* et no-
tionibus propositionis probandae commu-
nis, cui has convenire aut repugnare debere
diximus, ut sibi convenient aut repugnant.
Dicat e. g. aliquis: propositionem, quae ea,
quaesunt generis, huius speciebus inesse dicit,
esse procul dubio principium cognoscendae
illius, quae Caium e. g. animal esse dicit; licet
nesciat illa ideam *tertam*, cui *Caius* et *an-
imal* iuncti esse debeant, ut *Caius animal* dici
possit. Sed salva res est: Ex eo, quod
quaes generi insunt, speciebus eius compe-
tant, non colligere licet, quod *Caius* aut
alius sit animal. Propositionis huius veri-
tas ex eo intelligitur, quod *Caius* est homo;
idque offert nobis ideam illam tertiam, quam
in altero illo laudato cognoscendi principio
desideramus, et est unicum sufficiens veri-
tatis propositionis, quae inde pendet, co-
gnoscendae principium. Facit quidem pro-
positio, quae praedicata generis praedi-
cata specierum eius esse dicit, sed non suf-
ficit ad veritatem propositae propositionis
cognoscendam.

A.

VI.

VI.

Colligi ex demonstratis hactenus poterit, quo iure et in quantum prima illa, quae crepant, humanae cognitionis principia, propositiones nimirum, quae *idem simul esse et non esse impossibile*: *idem sibi ipsi idem: rem vel esse vel non esse* dicunt, nomen suum et locum, quem tenere vulgo creduntur, tueri valeant. Si dictas propositiones hactenus reliquarum, quaecunque sint, veritatum principia credimus, ut nullam harum veram et certam esse posse dicamus, nisi illa vera et certa sumamus, nemo satis sanus facile repugnabit. Erit tamen tunc principium cognoscendi nihil aliud, quam id quod verum esse fatendum, nisi alia ad illud relata falsa esse et absurdâ fatâri volumus; licet horum ex illo veritatem haud quaquam colligere liceat. Si autem principii cognoscendi nomine id notare volumus, ex quo aliorum, quae ad illud referuntur, veritatem intelligere et efficere possumus; praecepta illa nullo plane iure omnium veritatum praceptorum ac propositionum principium cognoscendi et ratio determinans, ut loqui amant, vocabuntur. Tale enim principium continere semper debet ideam quandam tertiam, cui duo propositionis, ex illo cognoscendae, termini convenire vel repugnare debent, ut sibi mu-

tuò

quo convenient, aut repugnant. Continere igitur deberent, quo tamen nihil affirmari posset absurdius, principia illa philosophorum libris et sermonibus tantopere celebrata, *medium terminum*, quem dicunt, omnium *conclusionum*, quibus constat universitas scientiarum et cognitionis humanae: imo ipsas, ex quibus argumentamur, naturas rerum et definitiones: quandoquidem hae in philosophia sunt nobis pro notionibus illis communibus, ex quibus, relatis ad alia, horum convenientiam aut repugnantiam colligimus.

VII.

Celebres sunt, maioris tamen nominis, quam momenti, controversiae de primo principio iuris prudentiae naturalis et praceptorum, quae traduntur in illa, fundamento. Variae et diversae de ea doctorum huius doctrinae sententiae. Ponunt alii aliud, prout quivis animi sui visis indulget et ex sensu suo iuris prudentiae naturalis naturam et limites definit. Pars iuris naturalis ambitu *imperfecta* etiam, quae dicunt, quae amoris et pudoris quodammodo vinculo confidunt, iura et officia, imo et homini erga se ipsum servanda, contineri tradunt. Cohibent alii iuris naturalis prudentiam intra fines scientiae *perfectorum*, ut audiunt, ha-

mi-

minis officiorum atque iurium. Tertio generi, de fundamento iuris naturae disputanti, sermo est de insitis illis in animis et innatis intus stimulis, qui omnia animalia ius quoddam naturale docent et omnium pectora praeceptis quibusdam naturalibus formant. Dissidentes hae et aliae, quas tacemus, de substantia iuris naturae et eius finibus sententiae inevitabilem omnino redundunt dissensionem de eius principiis. Quomodo enim, qui de natura et limitibus doctrinae dissentunt, de eius principiis et fundamento poterunt concordare? Non est ianua nostrum, nec fert instituti huius ratio, dijudicare multis varias illas de natura et limitibus iurisprudentiae naturalis sententias. Rectius tamen illam definire et fines illius regere mihi videntur illi, qui perfectorum hominis erga hominem officiorum et iurium philosophicam notitiam, *iusti* atque *injusti* naturalem scientiam esse dicunt. Mitto illa, quae ab aliis in hanc partem solide disputata et monita novi: id tantum illis addens: parum mihi iurisprudentiae naturali consilere et ipsum officiorum erga alios et iurium perfectorum naturale illud vinculum solvere videri illos, qui scientiam officiorum, homini erga se ipsum servandorum, legumque naturalium perfectorum atque imperfectorum miscent et in unum corpus philosophicum confundunt. Nota est doctrina eorum,

qui

qui disputantes de fontibus, unde officia erga alios perfecta fluere putant, ita eorum origines exponunt, ut satisfaciendum illis et convenienter vivendum homini dicant, quia ad servanda officia erga se ipsum teneantur. Laedendum neminem, suum cuique trbuendum putant, ne deesse officiis erga nos ipsos videamur, voluntatem aliorum a nobis alienemus, aut nocendi nobis et iniuriam inferendi excitemus. Hanc veram et ultimam rationem esse putant vinculi, quo ad officia perfecta legesque perfectas servandas adstringamur. Dicant tamen alii huic sententiae: tu mihi sola places! mihi quidem demonstrando hic facere videntur, ut praeceptum, quod argumentis firmandum sibi sumunt, evertant: Saltem id, de quo ante lectam demonstrationem nemo facile dubitaverit, dubium fere reddant. Qui amicitiam, quam sibi quisque debet, commovere nos debere dicunt ad abstinendum alieno suumque cuique trbuendum et neminem, nisi sibi inimicum, aliorum iura violare affirmant, recte illi quidem praecipiunt. Ratio nos & experientia docet, quam sibi non sit amicus, qui, quae aliis debet, denegando, aut in iura aliorum invadendo, horum odia et vindictam in se provocat: & absurdum esse eum, qui, in aliorum tranquillitatem iniurius, securum agere aevum sperat. Ut vera haec sint omnia,

ma-

male tamen rem gerere videntur, qui origines officiorum atque iurium in alios perfectorum ad officia erga se ipsum servanda referunt; et servanda illa ideo tantum dicunt, quia hisce deesse nefas homini. Non erit facile, qui tantum nobis concedere dubitet, legem, quae regula, cuius omne vinculum pudore ac voluntate nostra continetur, tantum confidit, ipsam esse imperfectam; et iura hominum ac officia, quae ex principiis, quae non nisi imperfecta mortalium munera et iura loquuntur, fluunt, ipsa imperfecta esse. Agnoscent leges civiles fundamentum vinculi, quo subditos adstringunt, voluntatem legislatoris; et perfectae audiunt, quia voluntas haec, unde ortum trahunt, est perfecta: leges enim imperfectae iuris civilis, de quibus disputant nonnulli, *) exulant post notas illas constitutiones imperatorias **); et si essent adhuc leges iuris civilis imperfectae, sanctione carentes, quae non punirent aut non rescinderent actum contra leges factum, tales procul dubio forent, quia voluntas conditoris earum et auctoris, unde orti, esset imperfecta. Fundamentum igitur iurium et officiorum perfectorum officia, quae sibi quisque debet, ponere: quid hoc est aliud, quam perfecta in imperfectorum naturam vertere et id agere, ut perfecta

*) Brummer ad legem Cinciam C. III.

**) L. 5. C. de legib. et Sctis.

fecta hominis munera naturam, quae demonstranda sumitur, exuat? Fides enim et amicitia, homini erga se ipsum colenda, in imperfectorum procul dubio officiorum numerum sunt referenda, et talibus ita substructa, ut stantibus illis stare et corruentibus iis corruere debere dicantur, et ipsa imperfecta dicenda erunt. Sufficient pauca haec ad intelligendum eos, qui rationem iuris et officii perfecti eam, contra quam haec tenus disputavimus, reddunt, varia illa officiorum genera pervertere videri idque agere, ut nulla iuris atque officii perfecti praecepta firma et stabilia tradi possint. Id vero monere adhuc liceat, non fore facile, qui, fundamento, quo uno omne officium perfectum confidere erronee docent, subducto, ipsum iurium et officiorum perfectorum *συνημματα* ruinam dare affirmare audiat: quod claro indicio est, firmamentum doctrinae *iusti* atque *iniusti* secundum hos ipsos, contra quos disputamus, in amore hominis erga se ipsum minime positum esse posse. Finge hominem praesentem semper vim ad nocendum aliis habentem: fac hunc aliorum vitam et fortunas invadentem et spoliantem: finge huic ab illis, in quos vi et iniuriis grassatur, quorumve indignationem in se convertit et inflammavit, omnia tutam! Num forsitan, deficiente hic, quod summus et sumere procul dubio licet, iuris per-

perfectorum fundamento, nulla erunt aut imperfecta tantum, quae violavit officia et ab iis tantum, qui pudori ac pietati, non legibus perfectis solummodo, obsequi et humanitatis cuiusdam vim sequi prae aliis solent; non autem ab iis, quibus ad legem iustum esse satis est, expectanda? Finge potentem regem, finitos ac vicinos opprimentem: crudeliter improba victoria uterum et victos durae servituti mancipantem: finge fractas plane horum vires et ita debiles, ut ab iis nihil omnino nefario praedoni timendum: finge ita vastam potentiam eius, ut a nullo eorum, quibus minatur et metum incutit, labefactari possit! Num idcirco comitatis tantum et modestiae iura violasse dicendus, iniusti autem possessoris et praedonis nomine indignus erit? Finge quodhuc monstrosum filium, senile patris guttur impia manu clandestino adeo fregisse, ut nunquam in suspicionem commissi flagitii adduci possit et nunquam adducatur: nullam igitur facinoris perpetrati vindictam, nullam aliorum indignationem in se convertere! Quis satis sanus negare idcirco audeat, officium, quo nullum datur sanctius et perfectius, ab eo violatum? Frustra oppones: fieri omnino non posse, ut illi, qui aliorum fortunas invadit et officiis erga alios perfectis deest, ab horum ira et insidiis nihil plane metuendum sit. Vix enim cujusquam

quam probari hoc poterit: ostendere saltem non poteris, adeo absurdum et impossibile esse, quod fieri posse sumsimus, ut sumere non licet, fieri illud posse et hoc ipso eos, quorum praecepta impugnamus, erroris arguere.

VIII.

Magnus est numerus principiorum, quae iactant, iurisprudentiae naturalis; a nobis autem non ineundus et ab instituto, cui iam standum, alienus. Celeberrimum inter illa praeceptum istud philosophorum, quod statum et conditionem nostram meliorem semper faciendam et, in quantum fieri potest, fortunaque mortalis recipit, perficiendam iubet. Mitto ea, quae de discordia praeceptum inter hoc et officia erga alios servanda exposita et disputata inter philosophos novi. Iudicent alii, num verborum tantum, an rerum sit haec controversia. Praetereo ea, quae de sententia principii laudati, eius finibus regundis et in iurisprudentia naturali utilitate tradita. Fateor tamen, imo etiam profiteor, stare mihi semper sententiam, usum celebraci huius principii in iurisprudentia naturali exiguum, imo fere nullum, esse: et si quis me dicat vim illius et utilitatem, qua in omnia iuris naturalis praecepta demonstranda influat, non satis intelligere, fateor id quoque. Diximus in

B

su-

superioribus, cum iis nos facere, qui introrsum referunt iurisprudentiae naturalis fines: minus illi laxum limitem aperiunt: eliminandas ex illa putant doctrinas officiorum imperfectorum eorumque, quae erga se ipsos servunt, qui sibi ipsis sunt amici: perfectorum igitur hominis iurium et officiorum philosophica scientia iurisprudentiam naturalem perfici et absolvit putant. Sunt officiorum et iurium, quae iurisprudentia naturalis, terminis hisce circumscripta ac definita, tradit, duo genera. Unum hominum, inter quos nulla pactio inita; nullus contractus celebratus; qui nulla reipublicae aut alias cuiusdam societatis necessitate coniuncti. Alterum eorum, qui pactorum, civitatis, aliarumve societatum vinculo copulati et sibi mutuo obnoxii. *Absoluta* vocant illa; haec *hypothetica*. *Absoluta*, quae dicunt nituntur procul dubio praecepto illo, quod dari docet, *meum, tuum, suum* aliquod, quod sine voluntate eius, cuius est, alterius fieri non potest et nemini invito sine iniuria adimi. Reliqua hominum iura et officia *absoluta*, quibus sunt in se invicem, exemplis tantum declarant praecptum hoc et illustrant: illudque quo serio negat, Anticyram is naviget et helleborum morbum expellat: operae saltem pretium non facturus est, qui rem, quam ne periculum quidem negare fas erit, quae nullam omnino

omnino dubitationem habet et quam tamen demonstrando vix ac ne vix quidem evincere poteris, cum eo disputandam sibi sumet. Dantur in scientiis prima quaedam, quibus reliqua illis contenta, superstructa sunt; quae probationem ex demonstrationem haud raro omnino non recipiunt; eaque argumentando plana facere et rationibus probare velle, nil foret aliud, quam operam perdere et cum ratione ineptire. In horum numerum referendum putamus laudatum nobis iuris naturae praeceptum. Demonstrationis illud omnino impatiens credimus; et neminem, nisi ratione abutentem, rationibus sibi illud firmandum sumere affirmamus; tantoque esse certius et omni dubitatione maius, quanto minus admittit demonstrationem. Qui rem, quam pro existente ponit, vult definire et positae definitionis veritatem demonstrare, duo agere debet: unum, ut definitionem in omnia, quae voce definita notantur, valere probet; idque exprimere, quod usus loquendi voce explicanda significat: alterum, ut esse revera et extare evincat rem, characteribus definitionis, genere et proprietate, quae definitio loquitur, concretam. Si terminis artis haec vis expressa, hi erunt: qui veritatem definitionis, qua res existens explicata, probandam sibi sumit, veritatem eius in conceptu formalis et materiali probare debet.



bet. Fiat iam dictorum ad definitionem eius, quod *meum, tuum* vocunt, accomodatio. A veritate illius in *conceptu materiali* nihil omnino difficultatis erit. Dabunt omnes: *meum* esse, quod alium, iavito me, arripere nefas pronunciant leges perfectae; et si quid salvo iure perfecto eripi mihi invito ac recusanti nequit, ei $\gamma\delta$ *mei nomen* convenire. Sunt haec omnium confessione vera, imo manifesta. Noli autem de veritate dictae definitionis in *conceptu formalis* quaerere et illius a me probationem expectare. Inique secum agi iure dicet omnis, a quo demonstrationem, ingeniis hominum maiorem, postulas; et talis est ea, quae dari natura *meum, tuum, suum* aliquod, extare iura atque officia naturalia perfecta eaque *absoluta* argumentando evincendum et ex aliis notioribus principiis praceptis notionibusve deducendum sibi sumit. Temere omnino ea expectabitur, et nihil plane habebit, qui de ea quaeritur, quod respondeat; nisi forsan insitum quoddam ius naturale et sensu quodam in interno, non argumentis dialectice proferendis confidens, immata quaedam intus praecepta, quibus omnium pectora formata et sine argumentis convicta; conscientiam quandam iusti atque iniusti et sensus interni fidem, quae pluris esse debeat, quam omnia argumenta, obtendat atque alleget. Non dicat mihi ali-

aliquis: informatam esse animis hominum
perfectionis quandam notionem, quae regat
 imperio actiones nostras, iubeat igitur iuri-
 bus aliorum esse consentaneas et ad specu-
 lum quasi naturae sive essentiae eorum, eius-
 que, quod alterius est, componendas: dari
 igitur praecepta et notiones, quae proba-
 tionem praestent eius, quod demonstrari
 posse negavimus! Sumunt enim haec, non
 probant, esse iura hominum perfecta: dari
m̄sum tuum aliquod, et horum naturae at-
 que essentiae convenienter vivendum ho-
 mini dicunt. Debet procul dubio, qui dicto
 modo argumentatur, naturam iurium per-
 fectorum atque essentiam existentem eius,
 quod *mei tui* — nomine venit sumere et pro-
 certo ponere: nisi forte laudatam illam phi-
 losophis recentioribus et animis nostris con-
 signatum *perfectionis* ideam, ut essentiae at-
 que naturae, quae nulla est, convenienter
 vivamus praecipere velis. De illorum do-
 ctrina, qui officii erga alios perfecti ratio-
 nes ex officio erga se ipsum et pietate, qua
 homo in se ipsum affectus esse debet, pen-
 dere putant, supra diximus et monuimus:
 verum quidem esse: neminem, nisi sibi ini-
 micum, parcum officiorum erga alios, per-
 fectorum in primis, cultorem, multo ma-
 gis desertorem esse. Errare tamen videri
 et rem minime dubiam argumentando du-
 biam fere facere, qui dicto modo officiorum



et iurium perfectorum origines reperisse se credunt. Omnis, quae a philosopho suscipitur de aliqua re institutio, debet procul dubio ab eius definitione profici sci et ex illa, tanquam ex fonte, fluere. Indigna igitur iuris naturalis doctore, qui philosophicam iuris scientiam profitetur, argumentatio, quae non ex rei, vel argumenti, in quo versatur, definitione, vel sufficienter probata, vel alias iure pro certa sumta, ducta: digna autem, et sola quidem digna, quae veritates et praecepta iuris perfecti, in definitiobus ac notionibus rerum, quae tractantur, latentia et recondita quaerendo investigat, profert in lucem atque exequitur. At *perfectio*, summum illud philosophis nostri aevi iactatum bonum, omne quod convenientiam cum natura rationali, omne quod ad finem et extremum illud, quod voto petere debet homo, accommodatum, significat, nec definit utrum iure perfecto an imperfecto haec teneamus aut aliis debeamus. Qui igitur *perfectioni*, quam dicunt, sive meae sive alterius, convenienter vivendum praecipit ac demonstravit, ostendit is quidem me iuri cuidam: est enim profecto *perfectio* illa ipsa ius quoddam, aut si mavis, tale aliquid, quod iure quodam possidemus; convenienter vivere debere: dubium tamen adhuc et in medio reliquit, utrum iuri perfecto, an imperfecto congruenter me.

me vivere velit? Quoad de eo, cui convenienter mihi vivendum dicunt, nil scio, quam hoc: esse illud tale quoddam, quod philosophi recentiores *perfectionem* vocant; ignorabo adhuc, utrum id iure perfecto, an imperfecto, meum aut aliorum sit? Non habet enim definitio *perfectionis* illius ea, quae substantia iuris perfecti desiderat: sed fert indifferenter et in medio relinquit: adeoque infoecundum fontem consequantur, qui ex illa iuris naturalis pracepta, quae non nisi perfecta sunt, ducere volunt.

Spero, nec temere spero, probatum in superioribus, omne, quo propositio vel praeceptum aliquod tanquam principio suo cognoscendi nititur, esse vel continere debere ideam quandam, cui termini propositionis demonstrandae iunguntur, ut sibi invicem copulari possint: Demonstrant veritatem asserti huius, quam in superioribus pluribus probavimus, exemplo suo praecpta iuris naturalis et experietur omnis, qui rationis illorum investigandae et expoundandae periculum facere non gravabitur. Notionem *sui, nostri* — esse semper comprehendet ideam illam, cui extrema praceptorum iuris naturalis absoluti copulari debent, ut sibi invicem convenient. Sume tibi e.g. probandum praeceptum, quod furtum admittere vetat. Exponemus illud angusto illo et concluso orationis genere, quo in

syllogismis ordinariis exprimentis utantur, hoc modo:

Qui suum alteri adimit, iniuste agit.

Qui furtum admittit, adimit alteri suum.

Iniuste igitur agit, qui furtum admittit.

Sume tibi istud, quod homicidium admittendum negat. Si pari orationis angustia proponis, tale erit:

Qui suum aufert alteri, iniuste agit.

Qui homicidium admittit, aufert alteri suum.

Qui ergo homicidium committit, iniuste agit.

Iunctum in utraque specie *subiectum* et *praedicatum* praecepti demonstrandi, et recte quidem iuncta, quia cum idea quadam, communi utriusque, notioni nimirum \forall *sui* copulata: idque in omnibus praecepsis iuris naturalis absoluti fieri, deprehendet omnis, qui animum ad rationes illarum investigandas addenderit. Ieiuna autem foret et infirma argumentatio, quae diceret:

Actio a praescriptionibus perfectionis averfa est iniusta.

Furtum est actio a regulis et praescriptionibus perfectionis averfa.

Furtum ergo est actio iniusta.

Vacillantem imo falsam esse aio hanc argumentationem, quia alter *terminorum* praecepti demonstrandi notioni communi, sive *medio termino*, in *maiore proposi-*

tio-

tione non recte iunctus. Falsum enim est, omnem hominis actionem a praceptis *perfectionis* aversam esse iniustum et a *prescriptionibus iuris perfecti* aberrantem. Firma tamen esse deberet dicta argumentatio, si vere dici posset, regulam *perfectio-*
nis unicum esse fontem et perennem, nec tamen exundantem *praeceptorum iurispruden-*
tiae naturalis.

IX.

Alterum genus officiorum et iurium, quod ius naturae tractare diximus eorum est, inter quos pactio convenit aut societas. Officia haec et iura, quibus homines, pactorum et societatum vinculo sibi iuncti, in se invicem eatenus utuntur, ex definitionibus societatum et pactionum factarum unice pendere ac fluere puto; nec praceptis illis universalibus, quibus omne ius naturae confidere tradunt, origines suas acceptas referre. Philosophicam sacerdos iustitiae naturalis profitetur officiorum et iurium horum scientiam: ex notionibus ergo rerum, ut omnis philosophia, petendam. Competit id genus, de quo iam sermo, iis tantum quibus pactorum aut societatum necessitudo intercedit: ex horum igitur notionibus et naturis eruendum sine dubio erit et in medium proferendum; et falsos omnino habere videtur cultores suos opinio, quae

B 5 prae-



praecepta, ex hoc genere iurium et officiorum oriunda, ex unico, commento ab ipsis, principio, originem ducere et pendere putat. Commodius hic erit et brevius iter per exempla, quam per praeceptorum et rationcationum ambages. Subiiciemus igitur tot, quot nominasse sufficiet ad intelligendum, principia illa, quae laudant, iurisprudentiae naturalis, parum aut nihil facere ad demonstranda iura et officia hominum *hypothetica*. Prodeant igitur in medium nonnulla; quibus intellectis, facile erit de iis, quorum nulla mentio facta, statuere.

Praecepta sunt iuris naturalis indubitata: mutuum in rebus, quae usum, salvo corpore, admittunt, contrahi non posse: commodatum non posse intempestive revocari, nec posse rem commodatam cum definitione mercedis utendam dari: non posse in deposito mercedem pro deposito intervenire, remque depositam deponenti in specie non in genere restituendam: mandatum interveniente mercede non recte contractum intelligendum: nullam esse societatem, quae donationis causa contrahitur; nec societatem intelligendam, quae ita convenit, ut alter omne lucrum habeat, alter omne damnum ferat: pro non facta esse venditionem, si premium pactione contrahentium non certum et constitutum: non valere venditionem donationis causa contractam: premium

tium emtionis consistere debere in pecunia,
 non in alio: non esse usuras, quae pro usu
 corporis dantur: transactionem non esse,
 quae nullo dato vel remisso convenit. —
 I nunc, et origines horum omnium ex tua
 illa *perfectionis* notione expone! Mihi alieno
 plane loco hic posita videtur et inepte
 plane in exponendis dictorum praeceptor-
 rum et similium iis rationibus in partes vo-
 cari. Non credo fore, qui serio negare au-
 deat, excitata hic et innumera alia, quae
 tacemus, iuris naturalis praecepta a naturis
 et definitionibus pactiorum. quarum ita
 loquuntur, origines suas unice ducere. Non
 dari potest in mutuo utendum corpus, sed
 dari debet quantitas utenda; quia mutuum,
 naturali etiam iure, est contractus, quo
 quantitas, quae pondere numero et men-
 sura constat, utenda datur in hoc, ut acci-
 pientis fiat et danti tantundem eiusdem ge-
 neris restituatur. Commodatum non po-
 test intempestive, usu, aut tempore definito,
 nondum finitis, revocari; quia commoda-
 tum est pactio iuris gentium, quo corpus
 utendum datur ad certum finem aut tem-
 pus; ea lege, ut, finito usu illo aut tem-
 pore, idem corpus restituatur. Non potest
 commodati causa alia esse, quam gratuita;
 distat enim hoc ipso commodatum a locato,
 quod illud gratis, hoc cum certa mercede
 definita utendum datur. Non potest pre-
 tium.

tium depositionis, tanquam merces, peti,
 quia vetat natura depositi, quod est con-
 tractus, quo res gratis custodienda datur:
 nec potest depositum in genere restitui, nisi
 forte naturam illud suam exuere et deposi-
 tum non esse volumus. Non potest actione
 mandati contraria merces officii praesertim pe-
 ri; defineret enim pactio inita esse mandatum,
 quo negotium alienum gratis gerendum re-
 cipitur. Non erit societas, quae donationis
 causa inita: non erit mihi ex ea actio pro
 socio; quia vetat id essentia societatis, quae
 tunc demum convenisse dicenda, si de com-
 municando lucro et damno actum. Non
 erit mihi actio emti aut venditi ex emtione,
 si pretium consensu partium non definitum;
 quia nulla dicenda emtio, quae defi-
 nitione et consensu emtoris et venditoris
 de merce et pretio non est perfecta. Non
 facta ob hanc ipsam causam dicenda erit
 emtio donationis causa facta, et ineptus fo-
 ret, qui ex ea actionem sibi competere pu-
 taret. Absolum foret, usuras dicere, quas
 quis pro usu corporis se daturum sponde-
 ret; quia usurae sunt, quae pro usu quan-
 titatum dantur. Non facta intelligenda
 transactio, quae nullo dato vel remisso ini-
 ta; quia transactionis definitio loquitur con-
 ventione, qua dato aliquo l. remisso lis
 dubii eventus compenitur. Praeclare sane
ho-

horum omnium fundamenta iacta erunt, si in principiis, ex quibus omne ius naturae, omnia iuris gentium praecepta colligere volunt, posita. Non poterit igitur in mutuo concedi usus corporis, sed quantitatis tantum; quia *facienda ea, quae nos statumque nostrum aliosque perficiunt.* Non potest in commodato merces intervenire, nec est ex hac pactione actio ad petendam eam a commodatario; quia *voluntas humana agendo se conformare debet voluntati divinae.* *) Non venit in actionem mandati contrariam merces officii praestiti; quia *repugnat id fini Dei aut mundi, aut, si mavis, hominis.* Non datur actio pro socio ex societate donationis causa contracta; quia *quod Deum velle cognoscis id est faciendum, et, quod Deus non vult fieri, id est omittendum.* Pro non facta erit emtio, in qua pretium consensu centrahentium non est certum; quia *intrinsecas quaedam actionum honestas aut turpitudine repugnat.* Non erit mihi actio emti ex venditione donationis causa facta; quia *amor quidam intellectualis id vetat.* Non erit transactio, quae nullo dato aut remisso convenit; quia *creaturae ad conformatiōnē cum creatore adspirandum.* Libera erit ab imperio

*) Vide, sis, Sylvam principiorum Iuris naturalis, quae doctores huius doctrinae excogitauunt, in illustris Dariesii Observationibus I. N. & G. Obs. XXXIII.



perio religio: tribuendum principi ius circa
 sacra territorii sui: debentur ecclesiae iure
 gentium, sive naturali, iura, quae dicunt,
collegialia: subiecti erunt principi omnes,
 qui sunt de eius territorio: non erit civi in
 civem ius bello et armis iura sua persequi,
 quia *perfectionis* quaedam idea, *finis mundi*,
amor quidam intellectualis aut aliud tale quod-
 dam haec suadent aut praecipiunt: non id-
 circo, quia naturae et definitiones rerum
 et personarum, de quibus sermo, ecclesiae,
 regionis, territorii, gentis, principis civis —
 ea postulant et loquuntur. Satis erit, satis in-
 eptiarum; satisque nominasse haec omnia ad
 defigendam in omnium oculis eorum absur-
 ditatem. Dicat mihi, qui eam ex dictis agno-
 scere se posse negat, cur ineptum dicendum
 putaret, qui effectum ideo causae agenti ae-
 qualem esse diceret. quod *perfectionis* notioni
 convenienter vivendum? cur satis sanum esse
 neget, qui substantiam, quae sponte ac li-
 bere agit, machinam ideo esse posse nega-
 ret, quod amor ille *intellectualis* repugnet?
 quin, si illa, quae absurdia diximus, non
 sunt, dicimus: accidentia salva rei absen-
 tia ideo abesse posse, quia voluntas humana
 conformanda voluntati divinae: posita rei
possibilitate non poni eius existentiam, quia
finis hominis aut *Dei*, aut *mundi*, repugnet?
 Quo argumento illa, quae negas forsan esse
 ab-

absurda, non sint, et haec sint, fac dum exte sciam. Peccaret, qui in superioribus modo, quem impugnavimus, argumentari vellet quia non ex definitionibus rerum, sed ex praeceptis quibusdam universalibus et principiis, alieno plane loco positis, argumenta duceret: quod et hic factum videmus. Non dicat mihi aliquis: ipsam e. g. *perfectionis* regulam postulare, ut iura pactiorum et societatum formis earum et definitionibus convenienter exponantur: si enim ob hanc rationem ad *perfectionis* illius ideam omnes iuris naturalis origines ultimum redeunt; non video, quid vetet, eandem Dialecticae et Geometriae primum et unicum fundamentum dicere. Istud malum tuum, alma parens philosophia, fatum! quod inter obstetricia philosophorum quorundam ridicula fere interdum fias, et osoribus ac contemptoribus tuis benignam cavillandi ac iocandi materiam praevebas; filiorumque tuorum peccata immerita luas!

X.

Probatum ivimus: praecepta iuris naturalis, quibus reguntur officia et iura hominum, pacti aut societatis, aliusve id generis relationis, copula iunctorum, ad pactorum et societatum naturas origines suas unice referre. Liceat pauca quaedam ad dicta declaranda addere et exemplo principii,



pñ, quod *perfectionis* regulis convenienter
 nos vivere praecipit, ostensum adhuc ire, no-
 ta illa in commune iuris naturae principia in
 hoc legum naturalium genere demonstran-
 do adversante omnino et repugnante eorum
 natura in subsidium vocari. Prodeat igitur
 principium istud, quod *perfectionis*, quam
 dicunt, regula, contineri tradunt. In quam-
 cunque illud partem aut sententiam accepe-
 ris, nullo semper iure praceptorum iuris
 naturae genus, quod iam tractamus, illius
 progeniem dices. Sive id velle dicis, ut
 quivis se ipsum statumque suum perficiat et
 meliorem semper faciat: sive id praecipere
 putas, ut homo eodem modo in se ipsum
 et in alios affectus et aequato amore se alios-
 que amplecti debeat: qua illud cunque signi-
 ficatione, quacunque sententia efferas,
 sterile semper erit argumentorum, quae
 probationes praestant legum iuris naturalis.
 Finge Caium, a quo commodatum alias ac-
 cepit, lege cum commodatario agere ad
 mercedem usus praestandam. Egregie pro-
 fecto litem arbitrio suo direnturus esset iu-
 dex, qui quaereret, num se, an commodan-
 tem perficiat; liceat cum Philosophis nostris
 loqui: mercede praefita commodatarius;
 naturam autem commodati, quae gratui-
 tum rei commodatae usum concessum loqui-
 tur, et perfectam omnibusque obviam litis
 motae decisionem, praefat offertque, nil
 cu-

curaret. Fac Titium rem apud se depositam in genere reddere velle; deponentem autem eam in specie restituendam affirmare. Facilis erit litis diremtio legum naturalium interpreti, qui de natura depositi cogitat et ex illa de causa iudicat. Ineptus autem foret et ratione abutens, litemque lite ac ineptiis resolvens, si de eo quaereret, num se, an alios re deposita in specie restituta *perficiat* depositarius? Neque enim hic refert nostrum, quid notio perfectionis, quid pietas, quid amor: sed quid naturae pactionum, eaque, quae illi necessario sunt consequentia, velint et iubeant. Poterunt dicta facili negotio ad alia, quae dicunt, iuris naturae principia impugnanda transferri. Illustrant caetera dicta hactenus et usu comprobari ostendunt ea, quae in superioribus affirmavimus: principia nimirum cognoscendi esse semper, aut continere tamen, notionem quandam communem idearum vel terminorum propositionis demonstrandae. Experietur id omnis, qui praecepta iuris naturalis, quae a pactorum et societatum essentialibus pendent, cum principiis suis oratione simul expondere et ad syllogismorum ordiniorum angustias reducere volet. Non expressa videbit alia praceptorum id generis iuris naturae cognoscendi principia, quam dictas toties pactionum et societatum definitiones; nec hae alium in *maiore* et *minore*

C

pro-



propositione locum occupabant, quam cum qui *medii*, quem vocant, *termini* est proprius. *Medium terminum* autem esse notionem, cui aliae iunctae, ut sibi invicem copulari possint, in vulgus Dialecticorum notum.

Liceat adhuc in fine huius *commentationis* profiteri, putare nos, non extare specimen, aut corpus, iurisprudentiae naturalis perfectius ingenio, elaboratus industria, cuius praeceptis cum naturis rerum, quae tractandae, magis conveniat, quam Digesta: pars illa iuris Romani nobilissima. Magnus mihi erit Apollo, qui naturas pactionum, societatum, aliarumque, quae habentur inter homines, relationum diligentius rimari; characteres definitionum curatius observare: in genera et proprietates illarum studiosius inquirere: omnia, quae in illis ad dirimendas controversias iuris facere possunt, sagacius odorari: et tantum pelagus praceptorum ac decisionum ex iis felicius, quam Pauli Iavoleni, Ulpiani, Papiniani — ducere et colligere poterit. Fatebitur mecum omnis, qui usu non contempnendo iunctus scientiae iuris naturalis, Grotios quidem et Puffendorfios demum iuris naturalis prudentiam ad iusti formam systematis redegisse et iuris gentium pracepta aptiore multo ordine dispositisse.

ac locasse: pleraque tamen, quae de materiais, quas Digesta etiam tractant, praecipiunt, et philosophantur, a iuris Romani auctoribus iam fuisse occupata. Sunt quidem in iure Romano multa, eaque plurima, quae definitiones rerum indifferentur ferunt et in medio relinquunt; voluntate igitur legislatoris definienda ac decidenda, nisi aeternam de iustitia et aequitate litem esse volumus. Spirat tamen et id genus legum iuris Romani per omnia fere rationem et iuris quandam aequabilitatem. Servat in iis admirandam quandam legum analogiam, referendo id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non ambigitur et incerta certis enodando et resolvendo. Novi naenias eorum, qui lamentantur: dissimilitudinem civitatis varietatem legum habere debere, leges igitur, civibus Romanis scriptas, nostrarum civitatum formae non convenire et male a nobis civitate donari: eum, qui sententias legum Romanarum, et usum, quo apud nos probari possunt, callere optat, tantum temporis antiquitatis et historiae Romanae studio, quantum ipsis legibus addiscendis, tribuere debere: disputare hoc ius multe nimis subtiliter et in nimium aliarum super alias cumulatarum legum acervum excrevisse et mole sua laborare! Non est tamen iam nostrum, refellere haec, nec nobis dicta putare debemus. Liceat interima



rim cum iis sentire, qui maximam iuris Romani partem talis naturae esse dicunt, ut omnis civitas illa uti possit: liceat profiterii, felix nos putare studii iurisprudentiae et antiquitatum ac historiae connubium: gratulari nos studiosis iuris, quod liceat iis molestum legum laborem musarum blanditiis solari, et dignum nobis id tantum legum studium hominis ingenui genio videri, cui historiae, antiquitatum et literarum, ad humanitatem informantium, studia elegantiam quandam et gratiam adspirant. Caetera subtilitatis nimiae nota eximenda puto, quae vere sunt disputata; et iniquos esse credo eos, qui librum non maioris molis, quam Corpus Iuris Romani, ex quo omnium specierum controversiarum iuris civilis incidentium decisio peti potest; magnitudine sua laborare dicunt. Sed haec forsitan alibi. Iam liceat scriptionis huius ponere.

FINE M.





rim cum iis sentire, qui maximam iuris Romani partem talis naturae esse dicunt, ut omnis civitas illa uti possit: liceat profiterii, felix nos putare studii iurisprudentiae et antiquitatum ac historiae connubium: gratulari nos studiosis iuris, quod liceat iis molestum legum laborem musarum blanditiis solari, et dignum nobis id tantum legum studium hominis ingenui genio videri, cui historiae, antiquitatum et literarum, ad humanitatem informantium, studia elegantiam quandam et gratiam adspirant. Caetera subtilitatis nimiae nota eximenda puto, quae vere sunt disputata; et iniquos esse credo eos, qui librum non maioris molis, quam Corpus Iuris Romani, ex quo omnium specierum controversiarum iuris civilis incidentium decisio peti potest, magnitudine sua laborare dicunt. Sed haec forsitan alibi. Nam liceat scriptionis huius ponere.

FINE M.

